

(ratione inquietæ mentis) ad peccatores (ubi cogitata proruperunt in externum opus habitumq; longum: & ab iis ad derisores (qui prorsus pertinaciter non modo peccant, sed & peccando sibi placent, aliosque omnes deludunt.) Sic ascendit quoque ab ambulatione (vel secessu) ad stationem (ceu tranquilliorem vel firmiorem adhuc commemorationem,) & demum ad secessionem, quæ securam planè quietem involvit; adeoque omnes corporis situs huc allati omne quoque impiorum commercium penitus declinandum esse docent. Ex versu hoc frequentationem spectaculorum illicitam probat Tertull. spectac. cap. III. fol. 404.

## EXPLICATIO VERSUS II.

*סֵדִ יְהוָה וְחַדְרָתָם כִּי אֶמְתַּחֲנָה* *sed in Lege Jehovæ voluntas ejus:*) Tot variis impiorum contibus unum opponitur legis studium, ceu cuncta in se complectens bona. Circa istud vero requiritur (1) intimus amor & oblectatio (2) indefessa tractatio seu meditatio. Voce legis autem quæ ebr. dicitur *תְּנִנָּה* (אֲנָה project; vel sagittam, quod est jaculari; vel gurgulas, quod est pluere; vel doctrinam, quod est informare, eò quod & hæc aculeos in mente relinquat, & ne *אַעֲגֹתָאָוָעָב* aberremus; faciat, vel quod instar imbris aridas fecundet mentes:) Davidis tempore intelligebantur quinque libri Mosis (qui ipsi sic appellantur *Jos.* IIIX, 31. 32. ut & hodiè apud Judæos;) & forte Josuæ & Judicis libri, qui soli tunc extabantur. Postea vero hac voce expressa quoque est omnis divina revelatio, literis mandata, ad quam velut certum perpetuumque oraculum, omnes Deum requirentes ablegantur *Jes.* IIIX, 20. (ad quem locum vid. *Dorschium pentad.* Disp. I. th. 9.) sic *Jes.* I, 10. c. IIIX, 16. c. V, 24. &c. Nos itaque hac voce intelligimus omnes scripturæ sacræ libros *תְּנִנָּה*, in quibus voluntatem Dei tam legalem, quam evangelicam, perfectè jam revelatam habemus, cuius utriusque cognitio omni, veram beatitudinem querenti, summè est necessaria. (Alias hujus vocabuli significaciones vide apud *Meisnerum* l. 1. de legib. quest. 1.) In hac ergo sacra pagina omnis ac intima piorum sita est *delectatio*, qualis alias *אַפְּנָה* *propensio*, desiderium aut oblectatio solet esse in gemmis, quæ dicuntur *אַבְנֵי הַפְּנִים* *Jes.* LIV, 14. (*Prov.* III, 15. c. VIII, 11. & 19.) aut circa sponsam vel amasiam *Gen.* XXXIV, 19. *Eph.* II, 14. *Jes.* LXII, 4. omnis cura aut studium, alles *Vornehmen* / uti Luth. reddit *Cobel* III, 1. Sic itaque pius delicias suas querit, non in frivolis mundi vanitatibus, sed in solo Dei verbo, ceu solidissimo, securissimo, durabilissimo, atque ad æternæ gaudia verasque delicias nos deducente bono. Hoc, ceu thesaurum vel sponsam suam unicè amat, collustrat, custodit, veneratur. Eleganter Ambrosius h. l. *ille plenè meditatur, qui ipse sibi lex est, scriptum in corde suo opus legis intendens.*

*וְבַהֲרַתִּוּ רְגָגָה יוֹמָם וְלִילָה* *& in lege ejus meditatur die ac nocte:*) Repetitur denuo nomen legis ceu rei adeo caræ ac pretiosæ, cuius vel solo nomine intime delectantur pii; simpliciter enim dici potuisset *בְּכָה* *& mea*. quod loquendi genus Aben Esra h. l. dicit *דָּרְךָ צָהָרָה* claritatem seu nitorem dicendi, ubi scil. loco affixi reperitur nomen ipsum ob vitandam ambiguitatem. In hac lege Dei pius meditatur *יְהָגָה* (meditabitur h. e. perpetuo meditari solet; ceu de hac præsentis, per præteritum aut futurum descriptione dixi-

A mus ad *הַלְּגָה* vers. 1) *tam corde*, ut *Psal.* XLIX, 4. *quam ore*, ut *Psalm.* XXXV, 28. *לְשִׁנֵּי תְּרֵגָה* quomodo exponit h. l. Aben Esra allegatis utrisque locis: (melius quam *Rasche*, qui de sola cordis meditatione accipi censet.) Hoc namque verbum significat solicitam cordis expensionem vel discursum, cum quis secum loquitur, & tacite quasi immurmurat, quomodo v. g. aliquis secum meditatur de ferendo responso *Prov.* XV, 28. aut devotè expendit Dei mirabilia *Psal.* LXXVII, 13. CXLIII, 5. Deinde etiam accipitur de externâ labiorum motione atque articulato sonô, qui ex tali cordis motu prævio, veluti campanæ sonus extrahentis pulsu, oriri solet: ita *Job.* XXVII, 4. de labiis iniqua vel dolos efferentibus adhibetur: de veritatis vero prolatione, *Prov.* VIII, 7. confer *Psal.* XXXV, 28. *Jes.* LIX, 3. Inde Chaldaeus quoque reddit *מְרֻבָּן cantat*, & *Luth.* redet. Tale igitur studium industrium pius exerçet erga verbum: tam *interius* meditando, expendendo, animæque intimè imprimendo, post quod sponte sequitur ipsa praxis ac viva operis expressio; quam *exteriorius* lingua id profitendo, aliosq; in formando crebrius. Idq; non semel *ולְהַ* sed *interdiu ac noctu*, non quidem ut præter hoc studium nec edat, bibat, dormiat aut opificium officium exerceat, sed quod ob intimam delectationem nullatenus abjecere queat ejus memoriam; velut evenire solet iis, qui res adamatas, etiam aliud agendo, subinde memorant, imò somniant; adeo planè abstinent nequeunt. Ubi contra hypocritæ vel obiter saltem ac perfunctoriè verbum DEI tractant, ac facile rursus ejusdem obliviscuntur. Eadem phrasis *interdiu ac noctu*, de verbi meditatione habetur *Jos.* I, 8. de lacrymis continuis *Psalm.* XLII, 4. *Jer.* VIII, 23. & alibi: adeoque proverbialiter notat studium indefessum, ubi cessante *effetu*, manet *affectus*; ita ut inter alia negotia observentur tamen nostris mentibus Dei mandata instar regulæ perpetuæ, quam sequamur. (וְיָמָם est adverbium in fine, per *וְ* formatum, ut *רַיְקָם חָנָם אַמְּנָם* &c.)

## EXPLICATIO VERSUS III.

*וְהַיָּה כְּעֵץ erit sicut arbor:*) Post declarata pii studia seqvitur jam ejusdem felix conditio; adeoque simili illustratur primum Psalmi vocabulum *אַשְׁרֵי beatitudines*, quod scil. pius hujusmodi fortunatusque Verbi scrutator futurus sit non instar arescentis cuiusdam herbulæ aut graminis; sed *sicut arbor* seu palma (uti nos Germani dicimusbaumstarker Mann &c.) quæ ratione (1) loci commodi, plantata juxta decursus aquarum, (2) ratione fructuum, non sit sterilis, sed in tempore eos ferat, (3) ratione foliorum seu ornatus, perpetuo fit iis vestita. Tranfit autem ad hoc simile per copulam (1) quam Syrus & Lutherus omittunt, ceu nudè conversivam, præteriti; *Junius* vero & *Piscator* reddunt, *enim*, qui significatus alias occurrit *Psalm.* LX, 13. CVIII, 13. *Prov.* IV, 18. &c. Genebrardus exponit, *sane*. Parum vero interest, sensu manente salvò. Et si *וְהַ* pro conversivo acceperis, verbum reddendum erit cum *Junio* (erit:) aut in præsenti cum *Luther*. Der ist/ ceu dictum de hoc idiomate ad vers. 1: (*הַלְּגָה*) Appellatur autem arbor generali voce *עֵץ*, quæ *lignum* notattam aridum, quam florens, & hic in specie, pro ratione descriptionis sequentis, vel *oleam*, vel *palmam*,